

# The Digital *Viridarium consolationis* Project

## Pars 1: De peccatis Caput 5: De avaritia (5)

Bernardus:

Inexplebilis avaritia divitum semper cupit,  
et nunquam satiatur, nec Deum timet, nec hominem reveretur.

Non est ista, rogo, insania amittere vitam,  
acquirere mortem, perdere celum?

Tribue pauperi si non vis flammis exuri.  
Da in terra Christo quia ipse reddet in celo.

Inexplebilis est sola auaritia diuitum. Semper rapit,  
et nunquam satiatur: nec Deum timet, nec hominem reueretur:  
nec patri parcit, nec matrem agnoscit: nec fratri obtemperat,  
nec amico fidem seruat: uiduam opprimit, pupilli rem inuadit:  
libertos in seruitium reuocat, testamentum falsum profert.  
Res mortui occupantur; quasi non et ipsi qui hoc faciunt moriantur.  
Quae est ergo ista animarum insania, amittere vitam,  
appetere mortem? acquirere aurum, et perdere coelum?

Augustinus Hipponensis (dubius), *Sermones*, 367.1  
(PL 39, col.1651).

Da petenti, ut possis ipse accipere:  
tribue pauperi, si non vis flammis exuri.  
Da in terra Christo, quod tibi reddat in coelo.

Augustinus Hipponensis (dubius), *Sermones*, 367.3  
(PL 39, col.1652).